

00

kt

S. C. 132

vgl an Id 2087

Theol.

IV. C. 3.



6

DISSERTATIO  
DE  
GALATIS  

---

SECTIO II  
DE  
GALATARVM LINGVA  
QVA  
EX LEGE  
SERENISSIMAE FAMILIAE  
SCHOENAICHIANAE  
ORATIONI

IN FRIDERICIANI CONDITI MEMORIAM  
D. XII. IVLII HORA X. MATVTINA

HABENDAE

PRAEFATVR

ERN. AVG. SCHVLZE

S. S. THEOL. PROF. EXTRAORD. PVBL. LYCEI  
FRIDERICIANI RECTOR.

FRANCOVRTI AD VIADRVN,

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI, AGAD. REG. TYPOGR.

DI. 17. 1710

GALATIIS

1710

GALATIENSIS LINGVA

JOHANNES HONNANUS

ORATIO

IN THEATRO GALATIENSIS

IN THEATRO GALATIENSIS

HABITUS

ORATIO

IN THEATRO GALATIENSIS

IN THEATRO GALATIENSIS

HABITUS

IN THEATRO GALATIENSIS

IN THEATRO GALATIENSIS

IN THEATRO GALATIENSIS







§. I.



De Galatis agere incepimus. Galatas ex Gallia progressos esse in prooemio huius dissertationis iam indicauius. Eandem originem refert Galatarum lingua, ex hac lingua iam quædam vocabula notabimus, atque ad suas origines reuocabimus.

§. II.

De Galatarum lingua ita nobis præfatur *Hieronymus* in Prooemio Libri II. in *Galatas* p. 172. *Vnum est, quod inferimus, et promissum in exordio reddimus, Galatas excepto sermone græco, quo omnis oriens loquitur, propriam linguam*

A 2

quam



quam eandem pene habere, quam Treuiros, nec referre, si aliqua exinde corruerint, cum et Afri Phoenicum linguam nonnulla ex parte mutaverint, et ipsa latinitas et regionibus quotidie mutetur et tempore. Inter Treueros aliquod tempus commoratus fuerat Hieronymus, atque eorum linguam vsu suo cognitam habebat. Treueri erant Germani, ac teste Tacito de Mor. Germ. c. 28. circa affectationem Germanicæ originis vitro ambitiosi, tanquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine, et inertia Gallorum separentur. Et Galatarum linguam in quibusdam vocibus Germanorum idiomatici consonam deprehendimus.

### §. III.

Pausanias in Phocicis p. 848. Edit. Kühnii equum Galatis *Μαρκαν* vocari memorat, hinc *Τριμαρκησια* genus equitatus, quo singulis equitibus duo alii succenturiabant. Cambro Britannis, Gallis et Germanis *Mar*, aut *March*, equus a), Longobardis equorum præfecti *Marpahis* dicebantur b). In eorum legibus *Maraworfin de equo deiectus*. Helueticis adhuc *March equa* c). Hinc *Marschalk*, præfectus equorum, *Marstal*, Helueticis *Margstal*, equorum stabulum, hinc Gallorum *Marcher*, quod primitiuo suo significato equitare denotat, hinc et ius illud *Marcheta* dictum d).

a) Vid. Sheringham in Disceptatione de origine Gentis Anglorum, p. 110. qui et hic Latinorum Marcus confert.

b) Vid. Paulus Warnefridus de gestis Longobardorum Lib. II. c. 9.

c) Vid. Pictorius in Dictionario Germanico Latino.

d) Vid. Keislerus in Antiquitatibus Septentrionalibus et Celticis, p. 484.

### §. IV.



§. IV.

Fruticem cocci Galatas sua lingua vocasse ῥε tradit idem Auctor *Pausanias* scil. in *Phocicis* c. 36. p. 890. *Vox* obseruante *Kühnio* in notis conuenit cum *Gallorum hodierna lingua*, qua *Hous Houx* illicem aquifoliam vocant, a qua arbore coccus fere non aliter differt, nisi quod per omnia minor et semper pumilus est frutex - - Notis *Kühnii* iungendæ obseruationes interpretis Gallici *Pausaniæ* Abbatis *Geodini* T. III. p. 246. Conferatur hic simul *Salmasius* ad *Solinum* p. 273. vt et *Celeberr. Wernsdorfius* de *Republica Galatarum* p. 328.

§. V.

Aliud linguæ Galaticæ vocabulum nobis refert *Hesychius* atque ex illo laudatus *Wernsdorfius*: Ἐσβεκτον, seu Ἐμβρεκτον Galatis erat vino intritum, quod Baccho offerebant. Vocabulum hoc consonum est Germanorum *Embrocken* vel *Embrocken*, quam vocem iam huc contulit *Wernsdorfius*.

§. VI.

Montanistæ, qui in Galatia potissimum eualuerunt, regionis lingua appellabantur *Tascodrugitæ*, interpretatione Græca *Passatorinchitæ*, quoniam inter orandum nasum, et os indice digito ceu paxillo premebant, atque sustinebant. At in exponendo nomine fluctuant auctores, nec certi aliquid hic expiscari licet. Varias veterum explicationes dabit *Wernsdorfius*.



## §. VII.

Hæc sunt linguæ Galaticæ vocabula, quorum significationes nobis commemoravit veterum auctoritas. Vocabula hæc iam collegit Doctiss. *Wernsdorfius*. Nec alia huius linguæ spolia dare possumus, quam nomina quædam propria, aut alias quasdam voces, veteribus quidem commemoratas, at non simul explicatas, in quibus explicandis iam nostras vires periclitabimur. Communis concilii locus, ubi omnes Galatici sanguinis populi legationibus suis coibant, vocabatur *Drynæmetus*, de quo *Strabo* L. XII. p. 567. *Cum autem sint tres gentes eadem utentes lingua, et aliis quoque in rebus nihil differentes, quamvis in quatuor dividerentur partes, et tetrarchiam nominaverunt, quæ suam haberet tetrarcham, et iudicem unum, unum stratophylacem Tetrarchæ subditos, ac duos stratophylacum vicarios. Duodecim Tetrarcharum concilium viri erant CCC, ii conveniebant in locum, cui nomen Drynæmetus, ii de cæde iudicabant, reliqua tetrarchæ, et iudices.* Integrum descripsimus locum, qui cum Gallorum, atque Germanorum institutis conferendus est. *Wernsdorfius* in L. iam cit. p. 336. *Drynæmetum ex lingua nostra per Drynheimat domicilium trium, scilicet populorum, explicat.* At rectiora, et quæ huic nomini magis sunt conformia inter Germanos nobis reperire licebit. Germanis erant iudicia *Nembd* dicta, hoc nomine in primis insigniebantur confessus duodecim selectorum iudicum, quod nomen adhuc refert forum septentrionale, cuius formam nobis in compendio exhibet *Verelius* in notis ad *Heruarar Saga* c. 14. *Iam inde a multis retro temporibus moris fuit apud maiores nostros in omnibus controversiis diiudicandis, tam in infimo foro, quam intermedio, et summo*



mo præter præsidem, qui in isto *Heredzhoefding* in illo *Lagmann*, in hoc *Rex* ipse erat, duodecim selectos et optimæ fidei viros adhiberi, quorum confessus *Nembd* hodieque dicitur ab selectis scil. illis iudicibus, qui ab utraque litigantium parte nominabantur. Germanis etiam concilia erant *Triting* dicta, de quibus videndus est *Hicelius* in *Thesauro linguarum septentrionalium* in *Dissert. de utilitate harum linguarum* p. 4. De confesso *Nembd*, aut *Nambd* plura dabit p. 37. Non displicebit *Doctiff*. atque humanissimo *Wernsdorfio* nostra nominis *Nembd* notatio.

a) In explicando nomine *Heredzhoefding* allucinantur viri doctiff. cum vocem *Heredz* ex *Hundari*, numero centenario vicorum, in quos pagi distribuebantur, contortam esse contendunt. Terra, nobis *Erde*, Germanis quondam simul *Herde* pronuntiabatur, quæ pronuntiatio adhuc *Helueticis* vitata est. Hinc et pagi, alias *Gau* dicti, simul vocabantur *Heredz*. Vid. *Dissert. nostra de capite saurino* in monumento *Childerici* reperto, antiquissimo *Francorum* insigni §. VIII. in *Exercitationibus nostris Philolog.* p. 148.

### §. VIII.

Galatæ, vt et Galli eorum progenitores, scutis vtebantur ligneis, ex assere, aut cortice arboris fabricatis, oblongis, vt fere virum æquarent, at perexiguæ latitudinis, vt tantummodo dimidium lateris obtegerent, *Supess* eos vocabant. In locum, atque vsum scapharum simul cedebant scuta ista, si annis transnatandus erat, vti exemplo quodam apud *Pausaniam* in *Phocicis* c. 21. videre est. De his Gallorum scutis loca veterum notauit *Wernsdorfius* p. 295. originem nominis repetit a figuris bestiarum (nobis *Thier*) quas Germani, atque Celtæ scutis appingere solebant.



bant. *Stephanus* in *Thesauro* vocem a Græcorum *Supæ* *Ianua* deducit. Nobis etiam *ianua* dicitur *Thüre*. Vox non a Græcis ad Germanos, sed ab altiori origine simul ad Græcos atque Germanos transit. Rei forma atque materia conuenit cum Galatarum scutis. Scuta enim ista erant lignea, oblonga, ex assere, aut cortice arboris fabricata. Conferenda huc simul est vox inter Persas reperiunda, quorum lingua plura refert vocabula Scythis, atque Germanis conformia, omne, quod oblongum, atque ligneum est, illis dicitur *רַרְרָא* hinc Cinnamomum *רַרְרָא*. Vid. *Relandus in Reliquiis veteris linguæ Persicæ in Dissert. Miscell. P. II.*

§. IX.

Eandem linguæ Galaticæ cum veteri Gallico, atque Teutonico idiomate consonantiam nobis referunt plura eiusdem gentis nomina propria, viris tributa. Principes, quorum ductu, atque auspiciis in *Asiam* commigrarunt, illis dicebantur *Leonnorius*, atque *Lutarius*. En nomina Teutonica *Leonhard*, atque *Luithard*! Illud leonina virtute conspicuum, hoc Alodibus potentem designat. Eandem adfinitatem testatur inclutum nomen *Deiotari*, qui inter Galatarum tetrarchas principatum obtinuit. *Deiotarus* est Germanorum *Theothard*, aut *Thuithard*, quod illis idem ac *Gotthard*. *Theut* enim et *Gott* Germanis erant synonyma. Vnde et in nominibus voces *Gott* et *Theut* commutabantur ita pro

*Gottfried* alii dicere solebant *Theotfried*

*Gottwald* - *Theutwald*

*Goderich Gautrich* *Theoderich Diethrich*

*Gottbrecht* - *Theutbrecht*

Got-



Gotschalk	-	Dietschalk
Gothilf	-	Theodolf
Gottwin	-	Thiotwin
Gottmund	-	Thiodmund
Gotzon	-	Theodo

§. X.

Nomen *Theodo*, quod Germanis idem ac *Gotzon*, in primis obseruandum est in explicatione nominis *Thuiton*, aut *Thuito*, communis Germanorum parentis, de quo *Tacitus de M. Germ. c. 2. Celebrant carminibus antiquis (quod vnum apud illos memorie et annalium genus erat) TVITONEM, DEVM TERRA EDITVM, et filium Mannum originem gentis conditoresque.* Obseruatio nostra loco huic lucem accendet. Communis Germanorum, Celticarumque gentium Deus erat magnus ille *Theut*, qui et illis *Theut Atia*, aut *Theutates*, *Theut pater* vocabatur, de quo *Lucanus L. I. v. 444.*

*Et quibus immitis placatur sanguine diro*

*Teutates*

Ab hoc *Teut*, aut *Teutate* originem suam ducebant *Galli*, quod ab eorum Druidibus memorie proditum nobis refert *Cæsar de B. G. L. VI. 18. Galli se omnes a Dite patre prognatos prædicant, idque a Druidibus proditum dicunt - Theut, aut Dit* primitiua sua significatione terram denotat a), ad terram enim, aut humum, vti et *Tacitus c. 39. de Semnonibus* memorat, omnis spectabat religio, tanquam inde initia gentis, tanquam ibi regnator omnium Deus. *Vetustissimos se nobilissimosque Sueuorum Semnones memorant. Fides*

B

anti-



antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in fluvium auguriis patrum, et prisca formidine sacram, omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est alia loco reuerentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis praese ferens, si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum, per HVMVM euoluuntur, EOQVE omnis superstitio respicit, tanquam INDE initia, IBI Regnator omnium Deus, cetera subiecta atque parentia. Hinc et septem istae gentes, de quibus Tacitus c. 40. in commune *Hertham*, id est, *terram matrem* colebant, eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrabantur. *Theut*, et *Gott* Germanis simul erant synonyma, uti et in nominibus §. IX. allatis voces has commutatas videmus. Ad progeniem aliquam indicandam Germani terminationem *On*, vel *O*, aut alias his consonas adiacere solent, ita *Ingæuones*, *Herminones*, *Istævones*, teste Tacito, e nominibus filiorum Manni dicti, quorum nomina, uti iam obseruauit *Conringius*, erant *Hermin*, *Istæv*, et *Ingæv*: Ita Sueuorum vetustissimi, atque nobilissimi, antiquissimi Marchiae Brandenburgicae coloni dicti sunt *Semnones* a Scythica voce *Same*, aut *Seme terra*, vnde et originem suam repetebant *b*). Eundem in modum reliqui Germani gentis suae conditorem, atque originem nominabant *Thuitonem*, *Deum terra editum*, quod idem ac Germanorum *Gotzon* *c*).

*a*) Non ignoramus significationem a quibusdam in dubium vocari; at iam aliis comprobata est, fusiusque adhuc demonstrari posset.

*b*) *Semnones* terram, aut humum ceu Deum, ceu suae gentis originem coluisse nosmet obseruauimus in *Dissert. de Francorum capite taurino* §. X.

*c*) Ad



c) Ad locum hunc Taciti nobis risum mouet Reimannus in *Historia literaria Germanorum* p. 24. vbi in verbis Taciti cantilenam, aut carmen aliquod Germanicum reperisse sibi visus est. Germani scilicet cecinere:

Do isz de arge Kutz  
 De uhs veroedet dü Hufz  
 Do is sebone vele Mans  
 Kan dei derknastern ganz.

Tacitus hæc Romanis suis auribus percipiens iam latina hæcce sibi audire videbatur:

Tuisto origo gentis  
 Deus terra editus  
 Tuistonis filius Mannus  
 Conditor nostræ gentis.

Hinc carminibus antiquis Germanorum celebratum nobis refert *Tuionem*, Deum terra editum, et filium Mannum, originem gentis, conditoresque. Eundem in modum totus Taciti libellus de moribus Germanorum in Germanicum aliquod carmen transformari posset

§. XI.

Ex obseruatione nostra, quam §. IX. dedimus, duobus simul auctoribus suis constabit consensus. Bastarnas, ad Istrum habitantes, quos quidam auctores Galatis accensent, a Perseo contra Romanos fuisse excitos, *Polybius*, atque ex illo *Liuius* et *Plutarchus* memorant. *Valerius Flaccus* in *Argonauticis* ducem illis tribuit *Teutogonum*. *Liuius* L. XL. c. 57. Princeps Bastarnarum *Cotto* vocatur. Cum *Theut* et *Gott* gentibus hisce essent synonyma, cum propterea nomina illa *Theodo*, atque *Gotzon* commutarentur; facile princeps iste Bastarnarum *Theutogonus*, aut *Theuto* ab aliis simul *Cotto* nominari potuit. Non prorsus igitur spernendæ sunt tales etymologiæ, cum vsum suum in explicandis auctoribus præstare possunt.

B 2

§. XII.



## §. XII.

Lyctrenses, qui in *Actis Apostolorum* c. XIV, II. Lycaonico idiomate locuti dicuntur, *Plinio* in *Hist. Nat.* L. V. c. 32. populis Galaticis minoribus annumerantur. Coniecturam hinc cepit Celeberr. *Wernsdorfius* in Libro cit. p. 336. eandemque eruditius vterius excutiendam proposuit, an ne ipsa illa lingua Lycaonica fuerit Galatici idiomatis, De lingua Lycaonica commentatus est Celeberr. *Tablonski* in peculiari disquisitione, quæ *Berol.* a 1714. prodiit, quæ vero tunc nondum ad manus venerat *Wernsdorfio*. Doctiss. *Tablonski* linguam hanc eandem fuisse censet, qua Cappadoces utebantur, ex quorum lingua quædam vocabula notavit, quæ iam, cum elegantissima hæcce dissertatio paucorum versatur manibus, iterum lectoribus exponere liceat. Iupiter illis dicebatur *Arbamaus*, quod memorat *Ammianus Marcellinus* L. XXIII. p. 269. Præter Iouem colebant Deam, quam *Sirabo* L. XII. p. 369. 385. 395. a loco Comanam appellat. *Menandro* apud *Athenæum* L. XI. p. 477. et *Hesychio* Condypoculum Cappadocicum commemoratur. Iouis pontificatus teste *Strabone* L. XII. p. 369. *Δαμνη* vocabatur. Apud *Hesychium* occurrit *Νηξίς* animal Cappadocicum, quod sciurum, seu nitelam quidam dicunt. Montem aliquem, *Argæum* dictum, Cappadoces ceu Deum coluisse feruntur. Sub Argæo sita erat *Mazacha*, vel *Mazaka*. Alia vrbs Cappadociae *Melita* nuncupatur, quam Semiramis condidisse fertur. Barbara hæc sunt, vti iam Viri doctissimi obseruarunt. Cappadoces, si non a Galatis, saltem a Phrygibus plura accipere potuerunt. Phrygum enim dialectus quondam per has terras late dominata est, quædam igitur  
hic



hic simul Scythico, aut Teutonico idiomati conformia deprehendimus. Cappadoces montem quendam totius regionis altissimum *Argæum* dictum ceu Deum colebant. Vniuersa fere Cappadocia teste *Strabone* L. XII. p. 738. lignis carebat, mons vero *Argæus* circumpositum habebat nemus. Romani etiam suos *Argeos* habebant, quales Romæ *Numa* dedicasse, *Liuius* L. I. c. 21. fertur: *Multa alia sacrificia, locaque sacris faciendis, quæ Argeos pontifices vocant, dedicauit. Ouidius Fast.* III. 791.

*Itur ad Argeos, qui sint sua pagina dicet.*

At perit hæc pagina. In Lege Flaminia apud *Gellium* 10-15. *Quum eas ad Argeos neque caput comito, neque capitulum depectito. Varro* L. IV. de LL. *Reliqua urbis loca olim discreta, ut Argeorum sacraria in septem et viginti partes urbis sunt disposita a*). Pontifices Romani, uti disciplinam suam, ita et hanc vocem a Tuscis acceperunt. Barbara igitur erat hæc vox, nec ipsis intelligebatur. *Argeos*, uti *Varro* refert, dictos putabant a principibus, qui cum *Hercule Argiuo* Romam venerunt, et in *Saturnia* subsederunt. *Festus* loca hæc ita appellata esse contendit, quod in his sepulti essent quidam illustres viri *Argiuorum*. Et inter Germanos loca hujus nominis deprehendimus. Nemo sacrum, atque delubrum illis vocatur *Haraha, Harg, Hearge*. En nemora sacra, *Argæos* dicta, inter Cappadoces, Romanos, atque Germanos reperiunda! Cappadoces locum summi pontificatus in *Cataonia* situm teste *Strabone* *Δακην* appellabant. *Pergæi* fœminam sacerdotem *Dianæ* vocabant *Ἄργον*, quod nomen annotauit *Hesychius*, suspicionem hinc mouit *Iablonski* apud *Strabonem* pro *Δακην* legendum esse *Δαργιον*. Et Galli sacerdotes, aut eruditos suos



suos, qui naturæ sublimia pandere conabantur, *Euhages* nominabant, de quibus *Ammianus Marcellinus* L. XV. c. 9. *Per hæc loca hominibus paulatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum inchoata per BARDOS et EVHAGES et DRVIDAS, et Bardi quidem fortiora virorum illustrium facta heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt. Euhages vero scrutantes seriem et sublimia naturæ pandere conabantur.* Quidam codices habent *Duhages*, alii *Eubages*, at optimi *Euhages*, quam lectionem propterea *Valesius*, et *Gronovius* in suis editionibus retinuerunt. Cum ita occasio fert, spatiumque adhuc nobis superest, nomen hoc iam explicare liceat. Inclutum enim hocce nomen nondum intellectum est viris doctissimis, ipsa lectio propterea variis modis sollicitata. *Keislerus* b) ex *Strabone* substituit vates. *Strabo* scilicet L. IV. p. 197. eosdem Gallorum sacerdotes recenset, at *Euhages* ipsi nominantur *oværeis*, quod nomen *Keislerus* cum Hibernorum *Faidh Fhada*, propheta confert. *Leibnitius* c) pro *Euhages* legit *Euuares*, ab *Euuarto*, quo nomine inter Francos, aliosque Germanos sacerdotes veniunt. Nomen *Euhages* inter Germanos etiam reperitur, talisque ibi datur huius nominis significatio, quæ sacerdotibus congruit. Inter Germanos apud *Procopium* in *Hist. Vandal.* L. I. literata vice quidam nomine *Euuages* occurrit. Ex vsu nostræ linguæ *Euhages* est legis peritus. *Euua*, *Ee*, aut *Eu* denotat *legem*, quod vocabulum innumera referunt monumenta. *Hages* descendit a Germ. voce *Hugu*, *Hugur* animus, vnde *Gothis* *Hugian*, cogitare, Francis *Hagi*, *Hugi*, Anglo Saxonibus *Hyga*, et *Hygia*, *Sapientia*, Normannis *Hugger*, Saxonibus *Hages*, aut *Hages sapiens*, d) vnde *Hexe* striga ex *Hegef-*



*Hegesfe* contractum. Nomen *Euhages* optime competit sacerdotibus, erant enim legum periti, legumque custodes, quare et alias *Euuato*, *legum custodes*, *Euxenlari legum doctores* vocabantur. Non opus igitur iam est vt *Ammianum*, aut librarios, erroris, vel oscitantiae arguamus. *Ammiano* suos *Euhages*, *Straboni* suos *vates* relinquamus. Facile enim fieri potuit, vt sacerdotes isti iam inter suos duobus gauisi fuerint nominibus, vel vt *Strabo* nomen *Euhages* notiori quodam vocabulo expresserit. Etsi Gallorum *Euhages* a *Δαυιν* Cappadocum summo pontificatu, aut *Peræorum* sacerdote, *Ἄγον* dicta, nimis remoti videbuntur; non displicebit tamen nostra nominis *Euhages* explicatio.

a) Cum hac voce non confundendæ sunt scirpeæ effigies, *Argai* etiam dictæ, quas, vt *Festus* refert, Romæ virgines *Vestales* singulis annis per pontem sublicium in Tiberim deicere solebant. Qui primi huius vrbs loca incoluerant, hominem decrepitum, de pontanum Diti patri immolare consueuerant, in huius sacrificii locum successerunt scirpea simulacra. Homo decrepitus, ad nullam rem utilis, ignauus, Græcis *Ἄργος*, Germanis *Arga* vocabatur, vt ex historia quadam apud *Paulum Warnefridum de Gestis Longobardorum* L. VI. c. 8. videre est. Irruerant latrones Slauorum in prouinciam fori Iulii, quam tunc Longobardi tenebant, præses loci, cui nomen erat *Argaid*, latrones adsequi non poterat. *Ferdulfus* dux eum propterea his verbis obiurgabat: Quando tu aliquid fortiter facere poteris, qui *Argaid* ab *Arga* nomen deductum habes. Ille maxima stimulatus ira respondebat: Sic velit Deus. vt non antea ego et tu *Ferdulfe* exeamus de hac vita, quam cognoscant alii, quis ex nobis magis est *Arga*. Non multo post exercitus Slauorum aduentabat; *Argaid* ille mox *Ferdulfo*: Memento dux *Ferdulfe*, quod me esse inertem et inutilem dixeris, et vulgari verbo *Arga* vocaueris,



ris. Diſtis hiſce, equo concitato ruens in hoſtes, conuitium mox ſanguine ſuo expiauit.

b) In *Antiquit. Celticis* p. 34.

c) In *Collect. Etymol. P. II.* p. 78.

d) Vid. de hiſ vocabulis *Schilterus* et *Wachterus* in Gloſſariis ſuis. *Wormius* in *Lexico Runico*. *Hickeſius* in *Diſſert. Episto- lari de Vrilitate liter. ſeprenr.* p. 24. in *T. I. Theſauri Lingua- rum ſeprenrrionalium.*

Hæc iam præfanda erant Orationi d. XII. Iulii habendæ, qua beneficia, quæ ſchola hæcce inclutæ Familie *Riſſelmanniæ*, atque Generoſiſſimo a *Lith*, Regis a Conſiliis ſanctioribus, optimo ſuo Patrono accepta referre debet, grata mente perfequemur, ut beneficiorum magnitudo eo magis eluceat, de vſu, quem ſcholæ reipublicæ præſtant, pauca dicemus. Ad quam gratiarum actionem beneuole audiendam Magnificum Academiæ Rectorem, Illuſtriſſimos comites, Curatores pie colendos, Spectatiſſimos Academiæ Proceres atque Profefſores, Senatam Ampliſſimum, et quotquot in hac vrbe Muſis noſtris bene cupiunt, ſingulos, ea, qua decet, obſeruantia inuitamus. Scribeb. Francof. ad Viadrum d. IX. Iul. MDCCLVII.






155556

AB 155 556

X2613330


l







6



B.I.G.

Farbkarte #13

TATIO  
 E  
 A T I S  
 IO II  
 E  
 M LINGVA  
 VA  
 E GE  
 AE FAMILIAE  
 ICHIANAE  
 IONI  
 ONDITI MEMORIAM  
 RA X, MATVTINA  
 NDAE  
 FATVR  
 SCHVLZE  
 TRAORD. PVBL, LYCEI  
 NI RECTOR.  
 AD VIADRYM,  
 I WINTERI, AGAD, REG, TYPOGR.

6 1337

